

insolentiam, ferre possent. vnde illud prouerbii loco vsurpatum, *Abdera pulchra Teiorum colonia*: cuius mentio est apud Strabonem. Scripsit vero, praeter *hymnos*, Anacreon *elegias*, et *iambos*, lingua Ionica: item et *mela*, quae *Anacreontia* dicta sunt, quae sua-ua, et iucunda, fuisse innuit Gellius. meminit Hephæstion, et Dion Prusieus. Scripsit et *Rhizotomica*, quae in commentariis Nicandri citantur: nisi forte haec sint alterius Anacreontis. Acron, Horatianus interpres, super ea Horatii verba, *Nec si quid olim lusit Anacreon Deleuit aetas: bene lusit*, inquit, *quia iocis, et conuiujs, digna cantauit*. Anacreon autem *Satyram* scripsit amicus Lyfandri. Alii dicunt, quod scripsit *Circen*, et *Penelopen*, in vno Vlysse laborantes, vnde in primo libro, *Dices laborantes in vno Penelopen, vitreamque Circen*. Neanthes Cyzicenus *barbiton* ait Anacreontis poëtae inuentum fuisse, vt trigonon Ibyci: id quod et in coenis Athenaei ab Vlpiano refertur. Inter longaeuos vero connumeratur a Luciano, quod quinque, et octoginta, annos natus obierit. Plinius, et Valerius Maximus, acino vuae passae Anacreontem suffocatum tradunt: qua de re hoc est nostri Caelii carmen, * *At te, sancte senex, acinus sub Tartara misit, Cygnae clausit qui tibi vocis iter. Vos hederæ tumulum, tumulum vos cingite lauri: Hoc rosa perpetuo vernet odora loco. At vitis procul hinc odiosa faceffat: Quae caussam dirae protulit vna necis. Creditur ipse minus vitem nunc Bacchus amare, In vatem tantum quae fuit ausa nefas*. Plato non semel ipse meminit, vt in Theage, et in Hipparcho: a quo et ei nauem quinquaginta remorum obuiam missam scribit.

* Hoc epigramma auctorem habet Ludou. Caelium Rhodiginum, popularem, et amicum, Gyraldii, non Caelium Sedulium, presbyterum, cui illud temere tribuit Valerius in versione carminum Anacreontis theotisca p. 44.